



## II. De christianis nestorinis.

### De christianis

1) Nestorini maxime uidentur a nobis distare de incarnatione Christi et maxime conuenire cum magnis hereticis, qui specialiter errauerunt circa diuinitatem Christi, et precipue cum Arrio, Cerinto, Ebione, Paulo Senositano, Fotino, et Maccometto, omnibus aliis obmisis. Sciendum est quod nestorini ex uerecundia negant esse se ymitatores Nestorii. Et dicunt, quod denominantur non a Nestorio, sed a Ihesu Nazareno, et uolunt uocari "nasatare", id est nazareni. Sed quicquid sit de nomine, certum est quod Nestorium maxime uenerantur et ymitantur.

2) Nestorius enim et Theodorus magister eius (1) talem sententiam de unione incarnationis protulerunt. Dixerunt enim, quod anima et corpus humanum uerum naturali unione conuenerunt in Christo ad constitutionem unius hominis eiusdem speciei et nature cum aliis hominibus, et quod in hoc homine Deus habitauit sicut in templo suo, scilicet per gratiam, sicut et in aliis hominibus sanctis. Unde dicitur Io. 2[,19], quod Christus dixit iudeis: «Soluite templum hoc» etc. Et postea euangelista quasi exponens subdit [Io. 2,21]: «Ille autem dicebat de templo corporis sui». Et Apostolus Col. 1[,19] dixit: «quod in ipso complacuit omnem plenitudinem diuinitatis habitare».

3) Et ex hoc consecuta est ulterius quedam affectualis unio inter hominem et diuinitatem, dum et homo ille bona uoluntate sua Deo inhesit, et Deus sua uoluntate illum acceptauit secundum illud Io. 8[,29]: «Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia que placita sunt ei, facio semper». Ut sic in//220u//telligatur talis unio hominis ad Deum, que eis(2) est unio, de qua dicit Apostolus [I] Cor. 6[,17]: «Qui adherret Deo, unus spiritus est». Et sicut ex hac unione nomina, que proprie Deo conueniunt, ad homines transferuntur, ut dicantur "dii" et "filii Dei" et "domini" et "sancti" et "christi", sicut ex diuersis locis Scripture patet, ita et nomina diuina homini illi

conueniunt, ut propter Dei inhabitationem et unionem affectus dicatur et Deus et Dei Filius et Dominus et Sanctus et Christus. Sed tamen quod in homine illo maior plenitudo gratie quam in aliis hominibus, fuit pre ceteris templum Dei et artius Deo secundum affectum unitus, et singulari quodam priuilegio diuina nomina participauit. Et propter hanc excellentiam gratie constitutus est in participatione diuine dignitatis et honoris, ut scilicet in eo adoretur 'Deus. Et sic secundum predicta oportet, quod alia sit persona uerbi Dei, et alia sit persona illius hominis, +uel ad minus aliud suppositum` hominis,+ qui uerbo Dei adoratur. Et si dicatur una persona utriusque, hoc est propter unionem affectualem predictam, ut si(3) dicatur homo ille et Dei uerbum una persona, sicut dicitur de uiro et muliere, quod «non sunt duo, sed una caro», `Mt. 19[6].` Quia talis unio non facit, et(4) quod de uno dicitur de altero dici possit, non enim quicquid conuenit uiro, uerum est de muliere, uel econuerso; ideo in unione uerbi et illius hominis hoc osseruandum putant, quod ea, que sunt propria illius hominis ad humanam naturam pertinentia, de uerbo Dei aut de Deo conuenienter dici non possunt. Sicut homini illi conuenit, quod sit natus de uirgine, quod passus, mortuus et sepultus et huiusmodi, que omnia assunt de Deo uel Dei uerbo, dici non debere. +Beatus `autem` Gregorius dicit libro 18[,83 & 85] *Moralium*, quod beatus Iob tales hereticos, «prophetie spiritu afflatus, sententie sue redarguit dicens: «Non adequabitur ei topazium»(5) [Iob 28,19]» etc., quia nullus purus homo per gratiam acceptam potest equari unigenito Ihesu Christo, qui est Filius per naturam. Desipiuit igitur heresiarcha istorum qui ait: «Non inuideo Christo facto Deo. Si uolo, et ipse possum fieri». «Quia non adequabitur ei topazium»,(6) id est, nullus homo, nulla creatura, potest ei equari, quia ipse est Filius per naturam, alii adoptiui per gratiam `etc` .+ Sed quia sunt quedam nomina que, etsi Deo principaliter conueniant, communicantur tamen //221r// hominibus per aliquem modum, sicut "christus", "dominus", "sanctus", et etiam "filius Dei", de huiusmodi nominibus secundum eos, nihil prohibet predicta predicari conuenienter, ut dicitur secundum eos, quod Christus, uel Dominus glorie, uel sanctus sanctorum, uel Dei Filius, sit natus de uirgine, passus, mortuus et sepultus. Unde et beatam uirginem Mariam non matrem Dei uel uerbi Dei, sed matrem Christi nominandam esse dicunt.

4) Sed si quis diligenter consideret, predicta positio ueritatem excludit incarnationis. Non enim secundum predicta uerbum Dei fuit homini illi unitum nisi secundum inhabitationem per gratiam, ex qua

consequitur unio uoluntatum. Inhabitatio autem uerbi Dei in homine non est uerbum Dei incarnari, habitauit enim uerbum Dei et Deus ipse in hominibus sanctis a constitutione mundi secundum illud Apostoli: «Uos estis templum Dei uiui, sicut dicit Dominus, quoniam inhabitabo in illis» [2. Cor 6, 16]. Que tamen inhabitatio incarnatio dici non potest. Alioquin ab initio mundi Deus incarnatus fuisset.

5) Nec etiam ad incarnationis rationem sufficit, si uerbum Dei aut Deus pleniori gratia habitauit in illo homine +quam in aliis,+ quia magis et minus speciem non diuersificant unionis. Cum igitur christiana religio in fide incarnationis fundetur, euidenter apparet, quod predicta positio fundamentum christiane religionis tollit.

6) Preterea, ex ipso modo loquendi Scripturarum falsitas predicte positionis patet. Inhabitationem enim uerbi Dei in sanctis hominibus consueuit sacra Scriptura hiis modis significare: «Locutus est Dominus ad Moysen» uel «dicit Dominus ad Moysen», «Factum est uerbum Domini ad Ieremiam» aut ad aliquem aliorum prophetarum, «Factum est uerbum Domini in manu Aggei prophete». Numquam autem legitur, quod uerbum Domini factum sit uel Moyses, uel Ieremias uel aliquis aliorum. Hoc autem modo singulariter unionem uerbi Dei ad carnem Christi designat Euangelium, dicens: «uerbum caro factum est».

7) +Preterea, secundum positionem Nestorii non esset uerum «uerbum caro factum est», id est Deus factus est homo, sed potius esset contrarium, scilicet quod homo ille, quem Deus sic acceptauit, factus esset Deus. Et sic fuisset homo //221u// deificatus, non Deus homo factus uel Deus incarnatus, et sic non esset uerum uerbum caro factum est, sed econtrario caro esset factum uerbum.+

8) Item, omne quod factum est aliquid, est illud quod factum est. Sicut quod factum est homo, est homo; quod factum est album, est album. Sed «uerbum Dei factum est caro», id est factum est homo, ergo uerbum Dei est homo. Impossibile est autem, ut duorum differentium persona aut ipostasi aut supposito unum de altero predicetur. Cum enim dicitur "homo est animal", id ipsum quod animal est, homo est. Et cum dicitur, "homo est albus", ipse homo albus esse significatur, licet albedo sit extra rationem humanitatis. Et ideo nullo modo dici potest, quod Sortes sit Plato, uel aliquod aliud singularium eiusdem uel alterius speciei. Si igitur uerbum caro factum est, id est homo, ut Euangelista testatur, impossibile est quod

uerbi Dei et illius hominis sint due persone uel due ypostases uel duo supposita.

9) Adhuc, pronomina demonstratiua ad personam referuntur uel ypostasim uel suppositum. Nemo enim diceret "ego curro" alio currente, nisi forte figuratiue, ut pote quod alius loco eius curreret. Sed ille homo, qui dictus est Ihesus, dicit de se: «antequod Habraham fieret, ego sum», Io. 8 [,58]. Et Io. 10[,30]: «Ego et Pater unum sumus», et plura alia que maxime(7) ad diuinitatem uerbi pertinent. Ergo manifestum est, quod persona illius hominis loquentis et ypostasis est ipsa persona Filii Dei.

10) Amplius, patet quod nec corpus Christi de celo descendit secundum errorem Ualentini, neque secundum animam secundum errorem Origenis. Unte restat quod ad uerbum Dei pertineat, quod dicitur "descendisse", non modo(8) locali, sed ratione unionis ad inferiorem naturam. Sed ille homo ex persona sua loquens dicit se «descendisse de celo», Io. 6[,51], «Ego sum panis uiuus, qui de celo descendi». Necesse ist igitur personam et ypostasim illius hominis esse personam uerbi Dei.

11) Item, manifestum est, quod ascendere in celum Christo homini conuenit, nam «uidentibus apostolis eleuatus est», Act. 1[,9]. Descendere autem de celo uerbo Dei conuenit, sed Apostolus dicit Eph. 4[,10]: «Qui descendit, ipse est et qui ascendit», ergo idem quod prius.

12) Adhuc. Ei quod originem habet ex mundo, et quod non fuit ante quam esset in mundo, non conuenit uenire in mundum. Sed homo Christus Ihesus secundum carnem originem habet ex mundo, quia uerum corpus humanum et terrenum habuit, secundum animam uero non fuit antequam esset in mundo. Habuit enim ueram humanam animam, de cuius natura est, ut non sit ante quam //222r// corpori uniatur. Relinquitur igitur, quod homini illi ex sua humanitate non conueniat uenire in mundo. Ipse autem se dicit uenisse in mundo: «Exiui a Patre et ueni in mundo», Io. 16[,28]. Uerum est igitur, quod id quod uerbo Dei conuenit, de homine illo dicitur uere. Nam quod uerbo Dei conuenit uenire in mundum, ostendit Euangelista Ioannes dicens: «In mundo erat, et mundus per ipsum factus est» etc; «In propria uenit» etc. Ergo idem quod prius.

13) Item, Apostolus dicit Hebr. 10[,5]: «Ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem nolui, corpus autem aptasti mihi».

Ingrediens autem mundum uerbum Dei est, ut ostensum est. Ipsi igitur Dei uerbo corpus aptatur, ut scilicet sit proprium corpus, quod dici non possit, nisi esset eadem ypostasis Dei uerbi et illius hominis.

14) Amplius, omnis mutatio uel passio conueniens corpori alicuius potest attribui ei cuius est corpus. Si enim corpus Petri uulneretur, flagellatur, aut moritur, dici potest, quod Petrus uulneretur aut moritur. Sed corpus illius hominis fuit corpus uerbi Dei ut ostensum est; ergo omnis passio, que in corpore illius hominis fuit facta, potest attribui uerbo Dei. Recte igitur dici potest, quod uerbum Dei et Deus est passus, crucifixus, mortuus et sepultus, quod ipsi negabant.

15) Item, Apostolus dicit ad Hebr. 2[,10]. «Decebat eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat,(9) auctorem salutis eorum, per passionem consumari». Ex quo habetur, quod ille, propter quem sunt omnia, et per quem omnia, et qui homines in gloriam adducit, et qui est auctor salutis humane, passus est et mortuus. Sed hec quattuor singulariter sunt Dei, et nulli alii attribuuntur. Dicitur enim Prou. 16[,4]: «Uniuersa propter semetipsum operatus est Dominus»; et Io. 1 de uerbo Dei: «Omnia per ipsum facta sunt»; et in Ps. [83,12]: «Gratiam et gloriam dabit Dominus», et alibi [Ps. 36,39]: «Salus autem iustorum a Domino». Manifestum est igitur, recte Deum et Dei uerbum esse passum.

16) Preterea, licet aliquis homo participatione dominii dominus dici possit, nullus homo, nec aliqua creatura, potest dici Dominus glorie, quia gloriam future beatitudinis solus Deus ex natura possidet, alii uero per donum gratie. Unde in Ps. [23,10]: «Dominus uirtutum ipse est rex glorie». Sed Apostolus dicit: «Dominum glorie crucifixum esse», [I] Cor. 2[,8]. Igitur dici potest, quod Deus sit crucifixus.

17) Adhuc, uerbum Dei dicitur Dei Filius per naturam, homo per gratiam adoptionis. //222u// Si(10) igitur in Domino Ihesu Christo secundum positionem predictam, est utrumque accipere filiationis modum. Nam uerbum inhabitans est Dei Filius per naturam, homo inhabitatus est Dei Filius per gratiam adoptionis. Unde homo ille non potest dici proprius uel unigenitus Filius Dei, sed solum Dei uerbum, +nec iterum Christus erit unus filius, immo erunt duo filii, unus naturalis et alius adoptiuus.+ Attribuit autem Scriptura proprio et unigenito Filio Dei passionem et mortem, Rom. 8[,32]: «Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum»; et Io. 3[,16]: «Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret» etc. Et

quod loquatur de traditione ad mortem, patet per illud quod permiserat de Filio hominis crucifigendo, dicens [Io. 3,14]: «Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto» etc. +Unde notandum est, quod nec ipsi dicunt Christum esse duos filios, nec aliqua scriptura dicit Christum esse duo. Notandum autem quod frater Thomas in tertio sententiarum 8. dist. articulo 5. dicit, quod «prima illa opinio que ponit in Christo duo supposita, posset ponere duas filiationes in Christo, nec tamen poneret duos filios masculine, sed duo filia neutraliter, si latine diceretur.»` +

18) Item, ex hoc dicitur aliquis filius alicuius matris, quia corpus eius ex ea sumitur, licet anima non sumatur ex matre sed ab exteriori sit. Corpus autem illius ex uirgine matre sumptum est. Ostensum est autem corpus illius esse corpus Filii Dei. Conuenienter igitur dicitur, quod beata uirgo sit mater uerbi Dei et etiam Dei, licet diuinitas uerbi a matre non sumatur. Non enim oportet, quod Filius totum, quod est de substantia sua, sumat a matre, sed solum corpus.

19) Amplius, Apostolus dicit ad Gal. 4[,4]: «Misit Deus Filium suum natum(11) ex muliere»; ex quibus uerbis ostenditur, qualiter missio Filii Dei sit intelligenda. Eo enim dicitur missus, quo factus est ex muliere, quod quidem uerum esse non posset, nisi Filius Dei ante fuisset quem factus esset ex muliere. Quod enim in aliquid mittitur, primum(12) esse intelligitur, quam sit in eo quo mittitur. Sed si homo ille est filius adoptionis secundum Nestorium, non fuit autem antequam natus esset ex muliere. Quod ergo dicit "Misit Deus Filium suum", non potest intelligi de Filio adoptiuo, sed oportet quod intelligatur de Filio naturali, id est de Deo Dei uerbo. Sed ex hoc, quod aliquis factus est ex muliere, dicitur filius mulieris. Deus ergo, Dei uerbum, est Filius mulieris.

20) Sed(13) dicit aliquis, non debere uerbum Apostoli sic intelligi, quod Dei Filius ad hoc sit missus, ut sit factus ex muliere, et sub lege ad hoc sit missus, «ut eos qui sub lege erant redimeret». [Gal. 4,5] Et secundum hoc, quod dicit «Filius suum», non oportet//223r//bit intelligi de filio naturali, sed de filio adoptiuo. Sed hic sensus excluditur ex ipsis Apostoli uerbis. Non enim a lege potest absoluere nisi ille, qui supra legem existit, qui est auctor legis; lex autem a Deo posita est. Solius igitur Dei est a seruitute legis eripere; hoc autem attribuit Apostolus Filio de quo loquitur. Filius ergo de quo loquitur, est Filius Dei naturalis. Verum est ergo dicere, quod naturalis Dei Filius, id est Deus Dei uerbum, est factus ex muliere.

21) Preterea, hoc idem patet per hoc, quod redemptio humani generis ipsi Deo attribuitur, in Ps. [30,6]: «Redemisti me, Domine Deus ueritatis».

22) Adhuc, adoptio filiorum Dei fit per Spiritum sanctum secundum illud Rom. 8[,15]: «Accepistis Spiritum adoptionis filiorum». Spiritus autem sanctus non est donum hominis sed Dei; adoptio ergo filiorum non causatur ab homine sed a Deo. Causatur autem a Filio Dei misso a Deo et facto ex muliere, quod patet per hoc quod Apostolus subdit: «ut adoptionem filiorum reciperemus» [Gal. 4,5]. Oportet igitur uerbum Apostoli intelligi de Filio Dei naturali, Deus igitur, Dei uerbum, factus est ex muliere, id est ex uirgine matre.

23) Item, Io. dicit [1,14]: «Verbum caro factum est». Non autem habet carnem nisi ex muliere. Verbum igitur factum est ex muliere, id est ex uirgine matre. Virgo enim est mater Dei uerbi.

24) Amplius, Apostolus dicit Rom. 9[,5], quod «Christus est ex patribus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula». Non autem est ex patribus nisi mediante uirgine. Deus ergo qui est super omnia +benedictus,+ est ex uirgine secundum carnem; uirgo igitur est mater Dei secundum carnem.

25) Amplius, Apostolus ad Phil. 2[,6-7]: «qui cum in forma Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens» etc. Ubi manifestum est, si secundum Nestorium Christum diuidamus in duos, scilicet in hominem illum, qui est Filius adoptiuus, et in Filium Dei naturalem, qui est uerbum Dei, quod non potest intelligi + illa exinaniuitio + de homine illo. Ille enim homo, si purus homo sit, non prius fuit in forma Dei, ut postmodum in similitudinem hominis fieret. Sed magis econuerso homo existens, particeps diuinitatis factus est, in quo non fuit exinaniuitus sed exaltatus. Oportet igitur quod intelligatur de uerbo Dei, quod primum(14) fuerit ab eterno in forma Dei, id est in natura Dei, et postmodum exinaniuit semetipsum in similitudinem hominis factus.

26) Non potest autem intelligi exinaniuitio ista per solam inhabitationem uerbi Dei in homine Ihesu Christo. Nam //223u// uerbum Dei in omnibus sanctis a principio mundi habitauit per gratiam, nec tamen dicitur exinaniuitum, quia sic Deus suam bonitatem creaturis communicat, quod nihil ei subtrahitur, sed magis quodam modo exaltatur, secundum quod eius sublimitas ex bonitate creaturarum apparet, et tanto amplius, quanto creature fuerint

meliores. Unde si uerbum Dei plenius habitauit in homine Christo quam in aliis +hominibus+ sanctis, minus etiam in eo quam in aliis conueniret exinanitio uerbi. Manifestum est igitur, quod unio uerbi ad humanam naturam non est intelligenda secundum solam habitationem uerbi Dei in homine illo, ut Nestorius dicebat, sed secundum hoc, quod uerbum Dei uere factum est homo. Sic enim solum locum habebit exinanitio, ut scilicet dicatur uerbum Dei "exinanitum", id est "paruum factum", non amissione proprie magnitudinis, sed assumptione humane paruitatis. Sicut si anima preexisteret corpori et diceretur fieri substantia corporea, que est homo, non mutatione proprie nature sed assumptione nature corporee.

27) Preterea. Manifestum est, quod Spiritus sanctus in homine Christo habitauit, dicitur enim Lc. 3 [Lc 4,1] quod: «Ihesus plenus Spiritu sancto regressus est a Iordane». Si igitur incarnatio uerbi secundum hoc solum intelligenda est, quod uerbum Dei in homine illo plenissime habitauit, necesse est dicere, quod etiam Spiritus sanctus est incarnatus, quod est omnino alienum a doctrina fidei.

28) +Preterea oportebit dicere, quod etiam Spiritus sanctus sit exinanitus, quia in nobis habitat per gratiam, et homo est templum Spiritus sancti, [I] Cor. 6[,19].

29) Preterea, de Patre et Filio dicitur Io. 14[,23]: «Ad eum ueniemus et mansionem apud eum faciemus».

30) Item, ipse Spiritus sanctus missus est super Christum [in specie] (15) columbe et super apostolos in specie ignis. Nec tamen dicitur exinanitus uel minoratus ab angelis, nec factus columba uel factus ignis.

31) Preterea, angeli leguntur missi ad homines in specie humana et moram aliquam, fecisse et [exercuisse opera, ut Raphael Thobie, [cfr. Tob. 3,25 ss] nec dicitur propter hoc minoratus](16) ab aliis angelis, nec factus homo nec incarnatus; numquam deposuit quod assumpsit, nec in uita nec in morte; ergo etc.`+

32) Adhuc. Manifestum est uerbum Dei in sanctis angelis habitare, qui participatione uerbi intelligentia replentur. Dicit autem Apostolus Heb. 2[,16]: «Nusquam angelos apprehendit, sed semen Habrahae». Manifestum est igitur, quod assumptio humane nature a uerbo non est secundum solam habitationem accipienda.



33) Item Apostolus Heb. 3[1-2] dicit: «Considerate apostolum et pontificem confessionis nostre Ihesum, qui fidelis est sicut Moyses». Et post: «Ampliori iste gloria pre Moysse dignus habitus est, quanto ampliorem [honorem] habet domus, qui fabricauit illam». +Unde ostendit ibi quod Ihesus excedit Moyssem, quanto opifex excedit opus uel domum, uel dominus seruum.+ Igitur homo Christus fabricauit domum Dei, quod consequenter Apostolus probat subdens: «Omnis namque domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia creauit, Deus est». Sic igitur Apostolus probat, quod homo Christus fabricauit domum Dei per hoc, quod «Deus creauit omnia». Que probatio nulla esset, nisi Christus esset Deus creans omnia. Sic igitur homini illi attribuitur creatio omnium, quod est proprium opus Dei; est igitur homo Christus ipse Deus secundum ypostatim, et non ratione inhabitationis solum.

34) Amplius. Manifestum est quod homo Christus loquens de se multa diuina dicit //224r// et supernaturalia, ut est illud Io. 6[40]: «Ego resuscitabo eum in nouissimo die» et Io. 10[28]: «Ego uitam eternam do eis». Quod quidem esset summe superbie, si ille homo loquens non esset secundum ypostasim ipse Deus, sed solum haberet Deum inhabitantem; hoc autem homini Christo non competit, qui de se dixit Mt. 11[29]: «Discite a me, quia mitis sum et humilis corde»; est ergo eadem persona hominis et Dei.

35) +(17)Preterea, si Christus secundum eos diuidatur in duo supposita, scilicet in Deum et hominem, oportet unum ex illis suppositis esse Dominum et aliud seruum. Dicit autem ipse se esse Dominum, Io. 13[13]: «Vos uocatis me Magister et Domine, et benedicitis, sum etenim». Numquam tamen dicit se esse seruum Dei, quod maxime decebat secundum perfectissimam humilitatem, cum tamen secundum humanitatem possit quodammodo dici seruus Dei. Non tamen hoc uoluit dicere, ne daret occasionem errori, ne diuideretur in duo. Dominum autem se dixit et alia sublimia, que pertinent ad diuinitatem,(18) quia suppositum erat diuinum. Unde et Dauid appellauit Christum Dominum suum dicens: «Dixit Dominus Domino meo» etc, Glo.: id est, «Pater Filio, qui est Dominus meus, etiam secundum quod homo». «Sede» eius enim sedere, cuius fuit labor passionis et mortis; «ad dexteris autem Domini» est esse equalis Deo. Sed hi duo, scilicet «sedere» et «ad dextris», ad idem suppositum pertinent. Ergo in Christo est idem suppositum diuinitatis et humanitatis.

36) Et dicunt, quod sublimia omnia, que dicuntur de Christo, dicuntur secundum diuinitatem habitantem in eo; humilia uero propter humanitatem, quem habuit, et quod hec pertinent ad diuersum suppositum in Christo, scilicet diuinum et humanum.

37) Sed contra, cum quilibet homo sanctus habeat Spiritum, scilicet inhabitantem, secundum hoc quilibet homo sanctus erit duo supposita, scilicet diuinum et humanum. Et quilibet homo sanctus poterit illa excellentissima de se dicere propter diuinitatem inhabitantem in se. Ut dicat: «Ego descendi de celo», «Ego resuscitabo eum», «Ego sum Deus» etc. Sed nullus est ausus hoc dicere de se. Immo dicebat Habraham: «loquar ad Dominum meum» [Gen. 18,27] etc.

38) Preterea, Apostolus ad Heb. 1[,2ff] ostendit, quod diuina et humana natura in Christo pertinent ad idem suppositum. Commendat enim Christum alternatius(19) secundum utramque naturam. Et utramque ponit de Christo intransitiue et sub eodem relatiuo, immo sub eadem relatione. Dicit enim de Deo: «Locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem uniuersorum». Ecce humana, «per quem fecit et secula»; ecce diuina, «qui cum sit splendor glorie», ecce diuina. Et post «tanto melior angelis effectus»; ecce humana, quia //224u// secundum diuinam non est «effectus», sed eternaliter genitus.

39) Patet igitur, quod Christus etiam secundum quod homo, est «Dominus Daud» et etiam «melior angelis», licet non ex eo quod homo. Et est Filius non adoptiuus. Et «facit angelos suos Spiritus» etiam supremos scilicet seraphym. Unde «et ministros flammam ignis». Et habent preceptum, quod «adorent eum omnes angeli», et quod est unum suppositum tantum. Unde et caldei habent ibi in epistola ad Heb. "Beacnoma", quod sonat: "Unum suppositum" et non duo in Christo.+

40) (20)Preterea, sicut legitur in scripturis, quod homo ille est exaltatus - dicitur enim Act. 2[,33]: «Dextera igitur Dei exaltauit illum» etc. - ita legitur, quod Deus sit "Exinanitus", Phil. 2[,7]. Sicut igitur sublimia possunt dici de homine illo ratione unionis, ut quod "sit Deus", quod "resuscitet mortuos" etc, ita de Deo possunt dici humilia, scilicet quod sit natus de uirgine, passus, mortuus et sepultus.

41) Adhuc, relatiua tam uerba quam nomina(21) idem suppositum referunt. Dicit autem Apostolus Col. 1[,16] loquens de Filio: «In ipso

condita sunt omnia in celo et in terra, uisibilia et inuisibilia». Et post subdit: «et ipse est caput ecclesie, qui est principium, primogenitus ex mortuis».(22) Manifestum est, quia hoc quod dicitur: «in ipso condita sunt uniuersa» ad uerbum Dei pertinet. Quod autem dicit «primogenitus ex mortuis», homini Christo competit. Sic igitur Dei uerbum et homo Christus sunt unum suppositum et per consequens una persona, et quicquid dicitur de homine illo, de uerbo Dei dicatur et econuerso.

42) Item, Apostolus dicit [I] Cor. 8[,6]: «Unus est Dominus Ihesus Christus, per quem omnia». Manifestum est autem, quod Ihesus est nomen illius hominis "per quem omnia", conuenit uerbo Dei. Sic igitur uerbum Dei et homo ille sunt unus Dominus, nec duo Domini, nec duo filii, ut Nestorius dicebat. Et ex hoc ulterius sequitur, quod uerbi Dei et hominis sit una persona +et unum suppositum.+

43) +Nestorius autem pro certo posuit in Christo unam personam et duo supposita, et nestorini orientales idem sentiunt. Dicunt enim, quod Christus est unum "sciax" et duo "acnum", quod sonat "Una persona et duo supposita". Cuius contrarium legitur apud eos in epistola ad Heb. in principio, ubi nos habemus de Christo «qui cum sit splendor glorie», ipsi expresse(23) "Beacnuma", quod sonat unum suppositum, et in nullo loco scripture habent, quod sit duo "acnum".

44) Preterea optime conuincuntur per Apostolum ad Heb. 1° et 2° capitulo, ubi ostendit preeminentiam(24) Christi etiam secundum humanitatem ad omnes sanctos patres et ad omnes angelos; quod stare non posset, nisi ipse esset uerus Deus et unum tantum suppositum.

45) Et cum //225r// queritur ab eis, que differentia est inter personam et suppositum, dicunt: "Nescimus". Quando dicitur eis, quod ponant aliquod exemplum de aliquo, quod sit una persona et duo supposita, dicunt "Nescimus". Quando dicitur eis, quod soluant rationes ponitas supra, dicunt "Nescimus". Et ita tota fides eorum quantum ad incarnationem fundatur super ignorantiam, contra illud [I] Petri 3[,15]: «Parati semper ad satisfactionem, omni poscenti uos rationem de ea, que in uobis est, fidei»(25) etc.

## Argumenta contra predicta

46) SVnt autem quedam difficultates et argumenta contra hanc fidei ueritatem, que adducemus, ut sciant, quoniam sumus parati hanc fidem defendere ab aduersariis et reddere rationem, cum opus fuerit.

47) Certum est enim apud philologos et teologos, quod+ (26)Deus nec corpus est, nec uirtus in corpore. Si autem carnem assumpsit uere, ut dictum est, sequitur ut uidetur, quod uel sit mutatus in corpus, uel quod sit uirtus in corpore post incarnationem. Impossibile igitur uidetur, Dominum fuisse incarnatum.

48) Preterea, omne quod acquirit nouam naturam, est substantiali mutationi subiectum; secundum hoc enim aliquid generatur, quod naturam aliquam acquirit. Si ergo ypostasis Filii Dei fiat de nouo subsistens in natura humana, uidetur quod sit substantialiter mutata.

49) Item, ypostasis non extenditur ultra naturam illam, quin potius natura inuenitur extra ypostasim, ut pote multas ypostases sub se habens. Si igitur ypostasis Filii Dei sit per incarnationem facta ypostasis humane nature, sequitur quod Filius Dei non sit ubique post incarnationem, cum humana natura ubique non sit.

50) Adhuc, anima et corpus in Christo non fuerunt minoris uirtutis quam in aliis hominibus. Sed in aliis hominibus ex sua unione constituunt suppositum, ypostasim, et personam, igitur et in Christo. Sed non constituunt personam et ypostasim et suppositum uerbi, que est eterna. Ergo aliud, igitur humana.

51) Preterea, sicut ex anima et corpore constituitur humana natura in communi, sic ex hac anima et ex hoc corpore constituitur homo secundum quod est ypostasis hominis. Sed in Christo fuit hec anima et hoc corpus. Ergo idem quod prius.

52) Preterea, hic homo, qui est Christus, prout consideratur ex anima et carne solum consistens, est quedam substantia. Non autem uniuersalis, ergo particularis, ergo est ypostasis.

53) Item, omne quod aduenit alicui post esse completum, aduenit ei accidentaliter. Sed cum uerbum Dei sit ab eterno, manifestum est, quod caro adsumpta aduenit ei post esse completum, igitur aduenit ei accidentaliter. Sed //225u// (27) cum uerbum Dei sit ab eterno, manifestum est quod caro adsumpta aduenit ei post esse completum, igitur aduenit ei accidentaliter, +ergo non unitur in persona, sed sicut uestimentum uestito.+

54) +Adhuc, maior est conuenientia in persona quam in genere uel in specie, quia illa est in aliquo, quod secundum rem est unum, hec autem secundum rationem est una. Sed propter maximam distantiam diuine nature et humane non potest esse earum conuenientia nec in genere nec in specie, ergo multo minus in persona.

55) Preterea, dicit Philosophus in 5. methafysice, quod ad diuersitatem in genere sequitur diuersitas in specie, at ad hanc diuersitas secundum numera. Sed in Christo inuenitur diuersitas secundum speciem, quia nature non conuenit nec in specie, nec in genera, ergo nec in numero uel persona.+

### **Solutio argumentorum**

Solutio predictorum patet.

56) (28) Incarnatio enim uerbi non sic est intelligenda, quasi uerbum ipsum sit in carnem conuersum, +sicut posuit Apolinaris. «Verbum caro factum est» sicut aqua conuertitur in uinum,+ neque quod uerbum Dei sit in illo corpore Christi sicut forma uel sicut anima in corpore, tunc enim sequeretur, quod Deus sit corpus uel uirtus in corpore, +sed quia traxit humanam naturam ad suam subsistentiam et personam, ut dictum est. Et sic patet solutio ad primum.+

57) Ad secundum dicendum est, quod nulla mutatio substantialis facta est in uerbo per hoc, quod naturam humanam assumpsit, sed solum in humana natura, que est assumpta a uerbo, ut dictum est.

58) Ad tertium dicendum est, quod ypostasis non extenditur extra terminos illius nature, ex qua subsistentiam habet. Non autem uerbum Dei subsistentiam habet a natura humana, sed magis naturam humanam ad suam subsistentiam uel personalitatem trahit. Non enim per illam, sed in illa subsistit. Unde nihil prohibet uerbum esse ubique, licet humana natura ubique non sit.

59) Ad quartum dicendum est, quod non pertinet ad minorationem uirtutis, quod anima et corpus in Christo non constituunt humanam personam, sed ad dignitatem maiorem, quia suo digniori uniuntur et trahuntur ad personalitatem uerbi, quam si per se existeret. Sicut anima sensibilis nobiliter esse habet in homine quam in aliis animalibus, in quibus est principalis forma, et non in homine.

60) Ad quintum dicendum est, quod in Christo fuit uere hec anima et hoc corpus, non tamen ex eis constituta est persona aliqua preter personam uerbi Dei, quia sunt ad personalitatem Dei uerbi adsumpta. Sicut corpus, cum est sine anima, propriam speciem non(29) habet, sed unitur anime, et ab ea speciem sortitur.

61) Ad 6. //226r// dicendum est, quod hec anima et hoc corpus in Christo est quedam substantia non uniuersalis sed particularis, non tamen est ypostasis alia quam ypostasis uerbi, quia humana natura ab ypostasi uerbi assumpta est, ut uerbum subsistat tam in humana natura quam in diuina, +sicut et hec manus est quedam substantia particularis, non per se subsistens, sed in homine ut pars. Unde si esset simpliciter quedam substantia, cum sit animata, esset animal, et sic unus homo esset plura animalia. Unde natura humana est pars quedam illius ypostasis.

62) Sciendum est autem, quod substantia secundum quod est genus, proprie non predicatur de parte. Manus enim si esset substantia, esset animal cum sit animata. Dicitur autem esse substantia secundum quod substantia diuiditur contra accidens. Cum ergo dicitur omnis substantia particularis est ypostasis, intelligendum est de illis, que directe recipiunt generis predicationem.

63) Ad 7. dicendum est, quod quamuis adueniat post esse completum, non tamen aduenit accidentaliter, quia trahitur ad unionem in illo esse, sicut corpus adueniet anime in resurrectione. +Sic enim uerbum humanam naturam assumpsit, ut uere sit homo. Esse autem hominem, est [esse](30) in genere substantie. Quia igitur ex unione humane nature, ypostasis uerbi habet quod sit homo, non aduenit ei accidentaliter, nam accidentia esse substantiale non conferunt. +Accidentia etiam et que accidentaliter adueniunt, non predicantur nisi denominatiue. Non enim homo est albedo, nec homo est uestimentum, sed est albus et uestitus. Ista autem est uerissima: «Deus est homo», et est in materia naturali, non in materia contingenti, nec etiam in materia remota etc. in tertio [sententiarum fr. Thomas] distinctio 7 [q. 1, a. I].

64) Ad 8. dicendum est, quod ea que differunt genera uel specie, differunt etiam numero, essentie uel nature. Non autem oportet, ut differant numero suppositi uel subiecti, quia secundum se considerata diuersorum generum in unum suppositum uel subiectum congregari possunt, sicut caro et os, ad constituendum corpus. Et albedo et

longitudo in eodem subiecto <?> sunt. Et similiter quamuis natura humana et diuina differant plusquam genere uel specie, 'in unam personam uniri posset,' et multo magis numero secundum numero essentie, non tamen numero ypostasis et persone. Et sic patet de nestoriis.

65) 'Ad 9. dicendum est, quod nature differant genere et specie.' +

## De Iacobinis.

66) SEquitur de iacobinis. Iacobini dicunt in Christo unam esse naturam, unam uoluntatem, unam operationem, scilicet diuinam.

67) Iacobini autem secuntur Euticem et Maccarium Anthiochenum. (31)Eutices enim, //226u// ut unitatem persone contra Nestorium seruaret in Christo, dicit in Christo etiam esse unam naturam, ita quod quamuis ante unionem essent due nature distincte, diuina scilicet et humana, in incarnatione tamen conuenerunt in unam naturam. Et sic dicebat Christi personam ex duabus naturis esse, non in duabus naturis subsistere, propter quod in Calcedonensi sinodo est condempnatus.

68) Huius positionis falsitas ex multis apparet. +Nam Christus fuit Filius uerus Dei Patris et fuit uere Filius uirginis matris, ergo oportet quod in natura communicaret cum utroque. Sed natura matris non est natura Dei Patris, ergo etc.+

69) Preterea in Christo Ihesu et corpus fuit et anima(32) et diuinitas, et manifestum est, quod corpus Christi etiam post unionem non fuit ipsa natura(33) uerbi. Fuit enim palpabile etiam post unionem et liniamentis membrorum distinctum et uisibile oculis, que omnia aliena sunt a diuinitate uerbi.

70) Similiter, anima post unionem aliud fuit a diuinitate uerbi, quia anima Christi etiam post unionem passionibus tristitie et doloris et ire fuit affecta, que diuinitati uerbi nullo modo conueniunt. Anima autem et corpus constituunt humanam naturam. Sic igitur etiam post unionem humana natura in Christo fuit aliud a diuinitate uerbi.

71) Preterea, natura est secundum quam res alique dicitur naturalis. Dicitur autem res naturalis, que formam +nature+ habet, sicut

artificialis, +que habet formam artis.+ Non enim dicitur domus, nisi habeat formam domus. Similiter non dicitur equus, antequam habeat formam equi. Forma igitur rei naturalis est eius natura. Oportet igitur dicere, quod in Christo sint due forme etiam post unionem. Nam dicitur Phil. 2[6-7]: «Qui cum in forma Dei esset, formam serui accepit». Non autem dicitur, quod sit eadem forma Dei et forma serui, nihil enim accipit, quod iam habet. Et sic, si idem esset(34) forma Dei et forma serui, cum iam formam Dei habuisset, formam serui non accepisset. Nec iterum potest dici, quod forma Dei in Christo per unionem sit corrupta, quia sic Christus post unionem non esset Deus.

72) Nec potest dici, quod forma serui sit permixta forme Dei, quia que permiscentur, non manent integra, sed partium utrumque(35) corrumpitur. Unde non diceretur, quod accepisset formam serui sed aliquid eius. Et sic oportet dicere secundum uerba Apostoli, quod in Christo etiam post unionem fuerunt due forme; ergo due nature.

73) +Item, si in Christo est una natura solum, aut tantum diuina, et sic non erit homo, aut solum humana, et tunc non est Deus, aut ex utraque per//227r// mixta, et tunc non est nec Deus nec homo, ´nam que non conueniunt in natura, non comunicant in specie`; ergo etc.

74) Preterea. Si est sancta unio in natura diuina, non est magis incarnata una persona quam alia, quia omnes tres persone in natura conueniunt.+

75) Preterea, nunquam inuenitur ex duabus naturis manentibus fieri aliqua una, eo quod quelibet natura est quoddam totum. Ea uero ex quibus aliquid constituitur, cadunt in rationem partis. Unde cum ex anima et corpus fiat unum, neque anima neque corpus natura dici potest, sicut nunc loquimur de natura, quia neutrum habet speciem completam, sed utrumque est pars unius nature. Cum igitur natura humana sit quedam natura completa, et similiter diuina, impossibile est, quod concurrant in unam naturam, nisi utraque uel altera corrumpatur, quod esse non potest.

76) +Item, querendum est ab eis, quando dicunt in Christo esse unam solam naturam, que est diffinitio nature, et dicunt quod nesciunt.

77) Preterea, querendum est ab eis, quomodo ex illis duabus naturis facta est una natura; per generationem, per corruptionem, per alterationem, per mixtionem etc.; et dicunt quod nesciunt.



78) Adhuc, ipsi dicunt, quod Maria peperit Deum, et dicunt, quod Deus mortuus est. Sed si Christus est una tantum persona et una tantum natura, quid remansit de eo, quando mortuus est; et dicunt quod nesciunt. Et ita tota fides eorum fundatur super ignorantiam, sicut supra demonstratum est de nestorinis.

79) Preterea, ipsi cantant in missa: «Sanctus Deus. Sanctus fortis. Sanctus qui non moritur». Quomodo igitur mortuus est, si non potest mori.

80) 'Preterea, si Deus mortuus est ut dicunt, aut mortuus est in persona et tunc non remanserunt nisi duo, aut mortuus in natura, et sic nihil remansit de ipso, etc.'

81) Sic igitur Christus est una persona ex duabus naturis manentibus cum suis proprietatibus, scilicet ex natura diuina que non moritur, et ex natura humana ex qua crucifixus est et mortuus. Cor. ult. [2 Cor. 13,4]: «Si crucifixus est ex infirmitate, sed uiuit ex uirtute Dei».

82) Notandum autem est, quod error Euticetis et Nestorii ex eadem radice processit contraria uia. Nam sicut dicit Boetius,(36) quia Nestorius nesciuit distinguere inter personam et naturam, cum uidit in Christo duas naturas, posuit duo supposita.

83) Econtrario Eutices, cum uidit unam personam, posuit etiam unam naturam esse in Christo, et illam diuinam.

### **Iterum de iacobinis.**

84) Iacobini etiam imitantur quendam Maccarium Antiochenum, qui posuit in Christo unam uoluntatem et unam operationem, scilicet diuinam, sicut et unam naturam. Unde hic error ex eadem radice cum superiori processit.

85) Addunt tamen aliquid, quod uidetur habere aliquam apperentiam, quia quantum ad //227u// uoluntatem humanam semper Christus fuit conformis Deo.+ (37)Nam nihil uoluit homo Christus, nisi quod Deus uoluit eum uelle, et nihil operatus est in agendo uel patiendo, nisi quod uoluntas diuina disposuit secundum illud Io. 8[29]: «Que placita sunt ei, facio semper». Unde accipiunt pro se, quod est contra eos, scilicet quod scribitur Io. 6[38]: «Descendi de celo, non ut faciam uoluntatem meam» ect., et Lc. 22[42]: «Non mea uoluntas

sed tua fiat», quare sic accipiunt: "non est mihi uoluntas nisi tua."

86) Sed isti decipiuntur, quod nesciunt distinguere uoluntatem prout est potentia anime, uel prout est actus persone. Similiter nesciunt distinguere inter illud, quod est simpliciter unum, et ordine unum. Nam etiam diuersi homines, quando sunt bene concordés in uolito aliquo, dicuntur habere unam uoluntatem. Act. 4[,32]: «Erant illis anima una et cor unum»,<sup>(38)</sup> in Domino quidem. Non quod quilibet non haberet animam propriam et suum cor. Sic et homo Ihesu Christus, licet semper fuerit concors cum Deo et unum in actu uolendi, tamen secundum quod homo habuit suam uoluntatem humanam, prout est potentia anime, et suam uoluntatem diuinam, secundum quod habuit integra utramque naturam, diuinam scilicet et humanam, ut ostensum est. Unde sicut ipse unicus Filius est et habuit duplicem natiuitatem, eternam scilicet et temporalem, ita fuit unus uolens et habuit duas uoluntates, scilicet diuinam et humanam.

87) <sup>(39)</sup>Preterea, in Christo est diuina natura perfecta, per quam consubstantialis est Patri, et humana natura perfecta, secundum quam est unius speciei nobiscum. Sed de perfectione diuine nature est uoluntatem habere; similiter de perfectione humane nature est quod habeat uoluntatem, per quam homo est liberii arbitrii; ergo Christus habuit duas uoluntates.

88) <sup>(40)</sup>Item, uoluntas est una pars potentialis anime sicut et intellectus. Unde si Christus non habuit uoluntatem secundum quod homo, pari ratione nec habuit intellectum sicut alii homines; ergo non fuit homo.`

89) Preterea, si in Christo non fuit alia uoluntas nisi diuina, non fuit liberi arbitrii, nec potuit mereri nec sibi nec nobis,<sup>(41)</sup> quia meritum est alicuius tendentis in perfectione; +quomodo ergo dicitur «factus obediens usque ad mortem»,+ «propter quod et Deus exaltauit illum» [Phil. 2,8&9] etc.

90) Item, si in Christo non fuit humana uoluntas, non fuit liberi arbitrii secundum naturam assumptam, nam secundum uoluntatem est homo liberi arbitrii. Sic igitur non agebat Christus homo `ad` modum hominis, sed ad modum aliorum animalium +agebatur,+ que libero arbitrio carent; ergo nihil fuit //228r// in eius actibus uirtuosum et imitabile. Frustra igitur dicit Mt. 11[,29] «Discite a me, quia mitis sum et humilis corde», et Io. 13[,15] «Exemplum meum dedi uobis» etc.

91) Item, in uno homine puro, quamuis supposito unus, sunt tamen plures et appetitus et operationes secundum diuersa naturalia principia. Nam secundum rationalem partem inest ei uoluntas, secundum sensitiuam irascibilis, et rursus naturalis appetitus consequens uires naturales. Similiter quod(42) et secundum oculum uidet, secundum aurem audit, pede ambulat, lingua loquitur, mente intelligit, que sunt operationes diuerse. Et hoc ideo est, quia operationes non multiplicantur solum secundum diuersa operantia subiecta, sed etiam secundum diuersa principia, quibus unum et idem subiectum operatur, a quibus et operationes speciem trahunt. Diuina uero natura multo plus distat ab humana quam naturalia principia humane nature ab inuicem. Est igitur alia et alia operatio, et alia uoluntas diuine et humane nature in Christo, licet ipse Christus sit in utraque natura unus.

92) Item, hoc idem precipue patet auctoritate sacre Scripture, Lc. 22[,42]: «Non mea uoluntas sed tua fiat».

93) Similiter et de operationibus patet. Fuit enim in Christo una operatio sibi et Patri communis, cum ipse dicat Io. 5[,19]: «Quecumque Pater facit, hec similiter et Filius facit». Est autem in eo et alia operatio, que non conuenit Patri, ut dormire, esurire, comedere, ´mori,` et alia huiusmodi, que Christus humanitus fecit uel passus est, ut Euangeliste tradunt. +´Nam concipitur a muliere, portatur in utero, nascitur aluo, cibatur, exurit, dormit, augetur, proficit, dormit, irascitur, fatigatur, admiratur, tristatur, timet, moritur, exaltatur, clarificatur, est minor Patre. Et omnia ista uere non secundum naturam diuinitatis, in qua equalis est Patri; ergo secundum naturam humanitatis, in qua conformis est matri et uere filius.`+ Non igitur fuit in Christo una tantum operatio (43)+uel uoluntas, sed sicut ipse fuit uerus Deus et uerus homo, ita in ipso fuit uera et integra natura diuinitatis et humanitatis cum suis proprietatibus naturalibus.

94) Notandum etiam, quod iacobini preter supradictos errores seruant circumcisionem.

95) Preterea sciendum est, quod quedam alie secte sunt, que concordant cum iacobinis, scilicet armeni, maranite, et copti, qui sunt maxime in Egipto.

96) Insuper tam iacobini quam nestorini habent quedam alia mala, que reddunt eos difficiles ad conuersionem.

97) Primo quia repudiant uxores etiam faciliter et accipiunt alias.

98) Secundo quia habent concubinas etiam cum uxoribus.

99) Tertio quia non confitentur, nec in uita nec in morte. Nec credunt, quod Christus nec apostoli auctoritate Christi ordinauerit, quod homo confiteretur homini.

100) Quarto //228u// quia non habent extremam unctionem.

101) Quinto quia quelibet secta habet suum catholico, id est uniuersalem, qui ordinat episcopos et archiepiscopos et mittit eos per diuersas prouincias et ciuitates, et illi uolunt eis obedire et timent priuari suis prelationibus. Et dicunt quod episcopo romano non debent nisi quandam reuerentiam paternitatis. Et ideo fratres qui uadunt, modicum proficiunt apud eos, nisi incipiant a maioribus, quia dato quod conuertantur non permanent.

102) 'De ritu diuerso.' Oportet etiam scire, quod omnes nationes et secte orientales ualde diuersum ritum habent a nobis.

103) Nam quasi omnes communiter dicunt missas de sero semper in quadragesima et ieiunio, communicant etiam paruulos, dant sacram communionem in manibus et non in ore, conficiunt de fermentato, mittunt in pastam conficiendam salem et oleum, habent calices de uitro uel de ligno, non induunt paramenta cum celebrant, et alia huiusmodi, que pertinent ad ritum magis quam ad fidem. De quibus fratres contendunt cum eis inutiliter, cum deberent conari reducere eos magis ad unitatem fidei quam ad unitatem ritus. Unde ad Eph. 4[,5]: «Unus Deus,(44) una fides» etc. Non dicit "unus ritus." Et sic patet de christianis orientalibus.+

---

## Endnotes

1 This second chapter is almost a verbatim copy of Thomas Aquin's Summa Contra Gentiles, lib. IV, cap. 34-36. It will be notified where the text differs in meaning from that of St. Thomas', but it will not be noted when Riccoldo omitted St. Thomas' references "ex superioribus", use of synonymoms etc. Where Riccoldo has added something to the text of TA, it will be surrounded by + +.

2 que eis : qualis TA.

3 sic TA.

4 ut TA.

5 ms: topatium.

6 ms: topatium.

7 manifeste TA.

8 motu TA

9 ms: adduxerant

10 Sic TA.

11 factum vulg.

12 prius TA.

13 forte seq. TA.

14 prius TA.

15 suppl.

16 exercuisse ... minoratus : cut in ms., suppl from ms. Oxf.

17 Paragraph 35-39 not from TA.

18 ms: diuinitatatem.

19 ms: alternatium <?>

20 The following from TA SCG lib. 4, c. 34.

21 pronomina TA.

22 ms: mortuus.

23 ms: exprexe

24 ms: preminentiam.

25 vulg: que in uobis est, spe.

26 The following from SCG lib IV, cap. 40.

27 Ms. repeats: sed. del.

28 The following from SCG lib IV, cap. 49; mostly paraphrased rather than rendered word by word.

29 non not in TA.

30 essu suppl. de TA.

31 From here and forth from TA SCG lib. IV, cap. 35.

32 rationalis seq. TA.

33 diuinitas TA.

34 idem esset : eadem est TA.

35 partium uterque : partim utrumque TA.

36 Cfr. Boethius Liber de Persona et duabus naturis, cap. IV [PL 64, 1345]: «<Nestorius> quoniam in Christo duplicem naturam esse censebat, duplicem quoque personam esse confessus est». Ibidem cap. V: «Hujus error ex eodem quo Nestorii fonte prolabitur».

37 The following from SCG lib. IV, cap. 36, in fine.

38 not verbatim.

39 The following from SCG lib. IV, cap. 36, in primo.

40 This argument and the following are paraphrases of TA and not rendered verbatim.

41 The argument til here a paraphrase of TA.

42 autem TA.

43 Here ends the quotations from TA.

44 Vulg: Dominus.

---

**November 1997, Kurt Villads Jensen, e-mail [kvj@hist.sdu.dk](mailto:kvj@hist.sdu.dk).**

Web-design: stud.mag. Jens Frost Thuelund, IT-funktionen, humaniora, e-mal [jft@sigma.sdu.dk](mailto:jft@sigma.sdu.dk).